

Confessiones

Liber VII

Caput IX

Et primo volens ostendere mihi, quam *resistas superbis, humilibus autem des gratiam*, et quanta misericordia tua demonstrata sit hominibus via humilitatis, quod *verbum caro factum est et habitavit inter homines*: procurasti mihi per quendam hominem, inmanissimo typho turgidum, quosdam Platoniorum libros ex graeca lingua in latinum versos; et ibi legi non quidem his verbis, sed hoc idem omnino multis et multiplicibus suaderi rationibus, quod *in principio erat verbum et verbum erat apud deum et deus erat verbum: hoc erat in principio apud deum; omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil*; quod factum est, *in eo vita est, et vita erat lux hominum; et lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt*; et quia hominis anima, quamvis *testimonium perhibeat de lumine, non est tamen ipsa lumen*, sed verbum, deus ipse, est *lumen verum, quod inluminat omnem hominem venientem in hunc mundum; et quia in hoc mundo erat, et mundus per eum factus est, et mundus eum non cognovit*. quia vero *in sua propria venit et sui eum non receperunt, quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios dei fieri, credentibus in nomine eius*, non ibi legi.

Item legi ibi, quia verbum, deus, *non ex carne, non ex sanguine, neque ex voluntate viri, neque ex voluntate carnis, sed ex deo natus est; sed quia verbum caro factus est et habitavit in nobis*, non ibi legi.

Indagavi quippe in illis litteris varie dictum et in multis modis, quod sit filius *in forma patris non rapinam arbitratus esse aequalis deo*, quia naturaliter id ipsum est: sed quia *semet ipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo, humiliavit se factus oboediens usque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod deus eum exaltavit a mortuis, et donavit ei nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur caelestium, terrestrium et infernorum et omnis lingua confiteatur, quia dominus Iesus in gloria est dei patris*, non habent illi libri.

Quod autem ante omnia tempora et supra omnia tempora incommutabiliter manet unigenitus filius tuus, coaeternus tibi, et quia de plenitudine eius accipiunt animae, ut beatae sint, et quia participatione manentis in se sapientiae renovantur, ut sapientes sint, est ibi; quod autem *secundum tempus pro impiis mortuus est*, et filio unico tuo non pepercisti, sed pro nobis omnibus tradidisti eum, non est ibi.

Abscondisti enim haec a sapientibus et revelasti ea parvulis, ut venirent ad eum laborantes et onerati et reficeret eos, quoniam mitis est et humilis corde, et dirigit mites in iudicio, et docet mansuetos vias suas, videns humilitatem nostram et laborem nostrum et dimittens omnia peccata nostra.

Qui autem cothurno tamquam doctrinae sublimioris elati non audiunt dicentem: *Discite a me, quoniam mitis sum et humilis corde, et invenientis requiem animabus vestris, et si cognoscunt deum, non sicut deum glorificant, aut gratias agunt, sed evanescunt in cogitationibus suis, et obscuratur insipiens cor eorum; dicentes se esse sapientes stulti fiunt*.

Et ideo legebam ibi etiam inmutatum gloriam incorruptionis tuae in idola et varis simulacra, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis et volucrum et quadrupedum et serpentium, videlicet Aegyptium cibum, quo Esau perdidit primogenita sua, quoniam caput quadrupedis pro te honoravit populus primogenitus, conversus corde in Aegyptum et curbens imaginem tuam, animam suam, *ante imaginem vituli manducantis faenum*.

Inveni haec ibi et non manducavi. placuit enim tibi, domine, auferre opprobrium diminutionis ab Iacob, ut maior serviret minori, et vocasti gentes in hereditatem tuam. et ego ad te veneram ex gentibus; et intendi in aurum, quod ab Aegypto voluisti ut auferret populus tuus, quoniam tuum erat, ubicumque erat. et dixisti Atheniensibus per apostolum tuum, quod *in te vivimus et movemur et sumus, sicut et quidam secundum eos dixerunt*, et utique inde erant illi libri. et non adtendi in idola Aegyptiorum, quibus de auro tuo ministrabant, *qui transmutaverunt veritatem die in mendacium, et coluerunt et servierunt creaturae potius quam creatori*.

<http://faculty.georgetown.edu/jod/latinconf/latinconf.html>